

RECTOR ACADE-
MIÆ LIPSIENSIS.

Hæc doctrina Platonis Philosopho-
rum facile principis, (cujus sententiæ
complures ad filum ductumque S. lite-
rarum quàm proximè accedentes, ac
veluti rivuli quidam ex augustissimo
Oceano divinæ & humanæ sapientiæ
deductæ reperiuntur) refert Macrobius in Saturna-
libus, Animam suo à corpore discessu, quem nos,
quorum mens adhuc molestissimis terreni corporis
vinculis constricta tenetur, Mortem ipsam erroneâ
opinione putamus, haudquaquam mori, sed corpore
relicto, initium facere vitæ, naturæ suæ nobili ac
divinæ maximè congruentis: Videri autem eandem
tunc mori, cum in mortalis corporis hujus membra
diffunditur. Quàm appositè autem pietati religionis
nostræ hæc meditatio respondeat, nemo non rem al-
tius penitusq; pensitando deprehendit. Nam cer-
tum est, animam nostram si elementari ac terreno
huic jungitur corpori, de immortalitatis nativâ lu-
ce, in crassissimas caliginosi corporis detrudi tene-
bras, ejusq; includi vinculis, ac quasi sepultam jace-
re. Unde & corpus Græcis *σῶμα*, quasi *σῆμα*, hoc est,
animæ sepulcrum dicitur, idemq; *δέμας*, id est, vin-
culi voce significatur. At si hæc mortalis corporis
mole exoneratur Anima, ad propriam vitæ perenni

E

redit